STATVTA,

ET DECLARATIONES CONSTITVTIONVM,

FACTA IN CAPITVLO GENERALI Ordinis Discalceatorum B. Mariæ de Mercede, Redemptionis captiuorum, die 29. Octobris, anni Domini 1652. celebrato, apud almum cœnobium Corporis Christi, oppidi del Visso, Hispalensis diœcesis.

VBI IN GENERALEM EIVSDEM ORDINIS Vicarium canonicè electus fuit Pater noster Fr. Ioannes â Præsentatione.

PRAESIDENTE P. N. FR. IOANNE ab Spiritu-sancto.

Anno D.  1652.

HISPALI.

APVD IGNATIVM DE LYRA.

Quando in principio statuti hoc verbum: Constitutio: *inueniatur, intelligat Lector idem statutum vim habere cõstitutionis, eo quòd à tribus Capitulis generalibus continuis stabilitum fuerit. Quã-do verò dicitur:* Secundò statuitur: *intelligatur id esse á duobus immediatis Capitulis generalibus ordinatum. Quando autem prænotetur:* Primò statuitur: *id sciatur ab hoc tantum Capitulo generali decretum.*

§. I.

Circa Diffinitorium generale & prouinciale.

1 P*Rimò statuitur.* Vicarius generalis in ipso Capitulo in quo fuerit electus, iuret obseruare concordiam initam cum Reuerendissimo Generali Magistro; & Patribus Obseruantiæ nostri Ordinis circa ministerium Redemptionis captiuorum, vt in ipsa continetur; sicut & Pater noster Fr. Ioannes à Præsentatione obseruandam iurauit.

2 *Constitutio*. Nomine Diffinitorij generalis, & prouincialis, ad examen legitimationis Vocalium ante electiones, controuersiarumque decisionem circa ipsas, solùm intelliguntur Pater Vicarius generalis, Prouinciales, seu Vicarij prouinciales, qui per electionem officium obtinuerunt; necnon & Diffinitores: non veró alij Capitulares.

3 *Constitutio*. Pœnam grauissimæ culpæ in nostris Constitutionibus, dist. 2. cap. 11. circa finem, expressam, intelligendam esse declaramus pœnam grauioris culpæ.

4 *Primò stat.* Cum cap. 3. dist. 2. nostræ Constit. Vocalibus ad Capitulum generale venientibus ante Vigiliam Vigiliæ Pentecostes, pœna arbitrio Diffinitorij applicãda sit: & cap. 7. eiusd. dist. Vocalibus ad Capitulum prouinciale venientibus ante tempus præfixum, pœna grauioris culpæ minimè relaxanda imponatur: Declaramus standum esse in vtroque Capitulo dispositioni prædicti capitis tertij.

5 *Constitutio*. In prima sessione Capituli, tàm generalis, quàm prouincialis, imponatur ab eo qui præest præceptum in scriptis Vocalibus omnibus, ac singulis, quód si aliquod

impedimentum excommunicationis, suspensionis, & interdicti, vel aliud quodcumq; canonicum, seù legitimum, quod probari posit notoriè, in aliquo ipsorum reperiatur; à quolibèt qui illud sciat, ante quàm vlterius procedatur, declaretur. Illo verò probato, expellatur à Capitulo qui tale patitur impedimentum.

6 *Primò stat.* In vtroque Capitulo tám generali, quàm prouinciali, ante electionẽ, Præses moneat Vocales, ne aliquem eligant, qui impedimentum aliquod canonicum, seù legitimum passiuum, ex suprà relatis, habere dignoscatur.

7 *Primò stat.* Quando Præses Capituli generalis aliquo impedimento legitimo, & canonico laborat, quòd notoriè posit probari, in ordine ad præsidentiã, seù electionem; tunc idem Capitulum per secreta suffragia alium Præsidem eligat, qui præsideat donèc dubium ipsum decidatur, & impedimẽtum declaretur. Si autem de impedimento legitimè constet, ipse Præses denuò electus in futura Vicarij generalis electione præsideat. Controuersiæ autem omnes quæ ante, vel post electiones sese obtulerint, decidantur iuxta id quòd decernitur cap. 15. dist. 2. nostrar. Constit. §. 1. *In primis*. Et resolutioni à Diffinitorio factæ nullus se opponere audeat, aut ipsam cõtradicat, sub pœnis ibi contentis.

8 *Primò stat.* Si vacante Vicariatu generali, Prouincialis suæ prouinciæ, vel aliquis ex Diffinitoribus, aut Commendatoribus in Præsidem generalem eligatur, vel in Vicarium prouincialem, aut in Diffinitorẽ; omnes sic promoti [si ipsi ante hanc electionem officia pristina spontè, & absolutè non renũtiauerint] post Capituli absolutionẽ, quo nouus Vicarius generalis electus est, antiqua officia, quę reliquerũt, reassumãt, & noua, ad quę in interim electi fuerũt, relinquant; ita vt prouincia ad eundem statum reuertatur, quo erat ante prædictas in interim electiones, & assumptiones. Et hoc intelligatur á die, quo P. N. Fr. Franciscus á S. Iosepho vita functus est, & in posterum. Si autem aliquis Diffinitor, seù Vocalis tempore Capituli generalis infirmitate, aut aliquo legitimo impedimento laborèt, nec officium renuntiare velit, ad renuntiandum compelli non posit, nec alius in eodem officio in interim eligatur, vt capitulum aduenîat.

9 *Constitutio.* Ante electiones Vicarij generalis, & Prouincialis, Præses absoluat ad cautelam Vocales omnes, absolutione

tion e præscripta cap. 21. dist. 2. ante §. *Si fieri potest*, & insuper addat. *Et habilito vos, in quantum ex iure, vel ex priuilegio possum, ab omni impedimento, si quod habetis.*

10 *Constitutio.* Si Vicarius generalis post acceptam sui officij gubernationem, velit illam dimittere, & renuntiare: si renuntiatio fiat intra Capitulum generale, à toto Capitulo acceptari debet, dummodò ad id rationes suppetant. Si verò fiat extra Capitulum, a Diffinitorijs vtriusquè prouinciæ, videlicèt Cõceptionis in VVandalia, & S. Ioseph in regno Castellæ, per vota decisiua acceptari debet. Nec sit necesse vt ad hoc prædicta Diffinitoria simul congregentur; sed vnumquodque in sua prouincia renuntiationis prædictæ causas examinet: & dictus Vicarius generalis renuntians determinet Diffinitoriũ, quòd primó examinet an acceptanda sit huiusmodi renuntiatio, vt possit, expensis rationibus illius, remittere quæ decreuit, & rationes decreti ad aliud Diffinitorium; & subscribant suffragantes in dicta acceptatione renũtiationis Vicarij generalis. Renuntiatione tamen admissa, alius ex prouincia eius qui renuntiauit, in Præsidẽ generalem à suo Diffinitorio canonicè eligatur, vsque ad Capitulum proximè sequens, Sabbato post semestrem celebrandum.

11 *Constitutio.* Renuntiatio Prouincialis á Diffinitorio suæ prouinciæ acceptetur: prius tamen moneatur P. N. Vicarius generalis, cuius consensus expectandus est ad dictam renuntiationem acceptandam. Absente verò dicto Vicario generali, & intra viginti dies prouinciã non adueniente, nec mittente, qui in Diffinitorio prouinciali illius loco præsideat; cõgregetur Diffinitorium, in quo Prouincialis renuntians assideat (sine voto tamen in ordine ad renuntiationẽ admittendam, cùm iam proprium expresserit) & admissa per suffragia secreta renuntiatione prædicta, in electione Vicarij prouincialis sequentis votum habeat cum reliquis Diffinitoribus, & Procuratore prouinciæ. Si tamen aliquis ex his defuerit, nec monitus aduenerit tempore à Diffinitorio pro dicta electione assignato, sit electio valida cum præsentibus.

12 *Constitutio.* Quidquid in Diffinitorijs generali, & prouinciali, siuè intra, siuè extra Capitulum decidendũ proponitur, prius consulatur in voce, & expendantur rationes, incipiendo à Diffinitoribus in professione minus antiquis, vsque ad Præsidem; ita vt vno loquente, alius non loquatur; & posteà

decidatur, vel voce tantùm, vel per vota secreta, scilicèt per schedulas, aut calculos albos, & nigros, iuxta qualitatem rei decidendæ.

13 Constitutio. Processus, & causæ iudiciales religiosorum tradantur à Vicario generali, & Prouinciali, transactis suis officijs; & Prouinciales, sub formali præcepto sanctæ obedientiæ, teneantur de illis facere inuentarium, & Diffinitorio prouinciæ tradere; ex cuius cõsensu, causæ quæ asseruari debẽt, seruentur sub claui in loco securo; & quæ rescindi, comburantur. Idem faciat sub eodem præcepto formali Pater Vicarius generalis, respectu causarum quæ ad prouincias pertinent.

14 Secundò stat. Vicarius generalis, aut Prouincialis non possint rescindere, comburere, aut delere processus, causas, schedulas, aut quodlibet aliud scriptum pertinens ad aliquam religiosorum causam, nisi talia processus, causæ, schedulæ, aut scripta spectent ad religiosum defunctum.

15 Constitutio. Ad recipiendum iterùm Nouitios ab habitu semèl expulsos, præter examen, & informationem à conuentu faciendam, adsit etiam consensus Diffinitorij prouinciæ; sine quo habitus non tradatur. Nequè alterius Ordinis religiosi, etiam nostræ Obseruantiæ, si suffragia conuentus primò non conuenerint; ad habitum possint admitti in alio conuentu; sed iterũ in eodẽ proponi possunt, vt admittantur, & non vltrà. Idem fiat cum omnibus qui habitum nostrum postulauerint; qui semèl in vno conuentu dimissi, in alio non recipiantur.

16 Constitutio. Possessiones conuentuum, redditus, & bona quæcumquẽ, siuè immobilia, siuè pretiosa mobilia, nulli liceat Ordinis nostri vendere, aut alienare, aut aliquo modo commutare; neque contractus à sacra Congregat. Concilij Sanctissimi D. N. Papæ prohibitos exercere, sinè licentia in scriptis Diffinitorij prouinciæ, & de consensu maioris, & sanioris partis illius conuentus, ad quem pertinẽt illa bona: Sic enim concordamus duo nostrarum Constit. capita, scilicèt, 18. & 26. dist. 2. Insupèr idem præcipimus obseruandum in conferendis Patronatibus conuentuum, aut sacellis Ecclesiarum, aut alienandis sepulchris perpetuis, quæ sunt in sacellis maioribus. Prælati autem contra prædicta facientes (præterquã in casibus à Jure permissis) censuris, & pœnis inhabilitatis perpe-

perpetuæ ab ipso Iure, & ab eadem sacra Congregatione taxatis, subiaceant. Præter consensum verò maioris, & sanioris partis conuentus, exigimus etiam Consiliariorum iudicium de conuenientia, aut disconuenientia circà prædicta, quod debet Diffinitorio scriptò manifestari.

17 *Constitutio.* Abrogamus clausulam cap. 24. dist. 2. nostræ Constit. qua dicitur: *Statuimus, ne Prælatus, etiam de sui Capituli consensu, possit librum aliquem alienare, sub pœna priuationis ab officio per vnum annum.*

18 *Constitutio.* Ad priuationem Commendatoris, & acceptationem renuntiationis officij eiusdem, & ad electionem nouam alterius [& idē intelligatur de reliquis vocalibus Capituli generalis, & prouincialis; excepta Vicarij prouincialis electione, in qua debet etiā suffragiū habere Procurator generalis prouinciæ] & ad expulsionē religiosi professi a b habitu, vel ad pœnam aliquam grauissimam infligendam, non possit se solo Prouincialis procedere, nisi cum quatuor Diffinitoribus prouinciæ, & voto eorum cōsultiuo, & decisiuo. Aliter sint nullæ omnes, & singulę sententiæ, necnon & acceptationes, electiones, aut priuationes prædictæ, non obstante cap. 18. dist. 2. & alijs nostrarum Constit. quibus per tria Capitula generalia continua fuerunt addita omnia prędicta. Idem etiam debet obseruari á P. N. Vicario generali, quantùm ad priuationes, & electiones præfatas.

19 *Secundò stat.* In ordine ad causas iudicandas, possit circá prædicta Vicarius generalis procedere iure ordinario, cum voto decisiuo duorum Diffinitorum, quin egeat quatuor Diffinitorum voto decisiuo, vt per nostras Cōstitutiones illi cōceditur (nisi in causa expulsionis, de qua, si in prima instantia cognoscit, cum voto decisiuo quatuor Diffinitorum procedere debet.) Si verò per appellationem, seu recursum, de causa iam iudicata a Prouinciali, & toto Diffinitorio: tunc, si sit intra prouinciam, vbi de prędictis causis agitur, tenetur iudicare cum voto decisiuo duorum Commendatorum eiusdem prouinciæ (excepta causa expulsionis, in qua, vt prędictum est, tenetur procedere cum voto decisiuo quatuor Diffinitorum, aut Commendatorum.) Si autem sit in alia prouincia, cum voto decisiuo duorum Diffinitorum eiusdem prouinciæ, in qua assistit.

20 *Constitutio.* In secundo anno triennij Capituli prouincialis,

lis, die videlicèt omnium Sanctorum, in qualibet prouincia congregentur Prouincialis, & quatuor Diffinitores in domo ab ipso Prouinciali designata; vt omnium conuentuum rationes, & bonorum computum exquirant; Commendatorum què renuntiationes acceptent, vel dimittāt per secretā suffragia, stando maiori suffragantium parti. Vt autem fraus nulla subrepat, omnes Commendæ ad vota secreta tunc reducantur, nulla illarum excepta. In qua Congregatione, si P. Vicarius generalis in eadem prouincia fuerit; teneatur assistere, & præsidere. Si verò sit absens, & de Præsidente dictæ Congregationis, intra viginti dies admonitus, non prouiderit, ijdem Prouincialis, & Diffinitores, vt prædicitur, congregati, prędicta omnia exequantur. Pater verò Vicarius generalis, iusta de causa, possit anteponere, vel postponere per vnum mensem dictam Congregationem intermediam. Uide infra §. 7. num. 44.

Circa Diffinitores.

21 *Constitutio.* Officium Diffinitoris vacat per absentiam sex mensium à sua prouincia, si talis absentia fiat sine consensu Diffinitorij eiusdem prouinciæ; & etiam si per vnum annum infirmitate impeditus, diffinitorio assistere nequeat. Si autē Diffinitor aliquis intra suam prouinciam absens fuerit, & monitus, intra quindecim dies ad Diffinitorium extra Capitulū non veniat; loco absentis ad casum definiendum succedat, qui in ea prouincia Vicarij generalis munus obtinuit: quòd si plures fuerint, ille qui in dicto officio tempore præcessit: & his deficientibus, qui Prouincialis, aut Vicarij prouincialis per electionem, & absolutè eodem ordine officium gessit: & deficiente hoc, qui Diffinitoris in præcedenti triennio munus obtinuit; seruato inter Diffinitores ordine professionis. Defectu verò omnium prædictorum, succedat Commendator conuentus, in quo Diffinitorium celebratur.

22 *Secundò statuitur.* In electione Diffinitoris, quæ fit á Prouinciali, prędictum obseruetur; secùs autem si electio fiat assistente P. Vicario generali, in hoc enim casu electio vacantis Diffinitoris fieri debet ab ipso, cum Prouinciali, & tribus tantum Diffinitoribus, per vota decisiua horum quinque vocalium. Si veró aliquis ex supra nominatis antiquior, vel ratione dignitatis, & officij, vel ratione professionis [vt in Diffinito-

finitoribus contingit]absens fuerit, dummodò vltra sex leucas non distet, ad talia determinanda eius aduentus expectetur; qui admonitus, intra duos dies venire teneatur: quòd si intra duos dies non venerit, alter ordine prædicto succedat, & sic de reliquis.

23 *Constitutio.* Diffinitores canonicè eligantur per maiorem partem suffragiorum, & Electores duas ad minùs schedulas à Secretario accipiant, in quarum vnaquaquè quatuor diuersa nomina Diffinitorum eligendorum sint scripta, ita diuisa, vt nomen vniuscuiusque á reliquis diuidi possit.

24 *Constitutio.* Rationes dati, & accepti, quas Commendatores ad prouinciale Capitulum deferunt, legantur, & examinentur in Diffinitorio eiusdem Capituli, ante electiones Diffinitorum.

25 *Constitutio.* Jn electionibus Diffinitorum, intra Capitulũ prouinciale, declaramus suffragari debere Procuratorem prouinciæ, simul cum P. Vicario generali, Prouinciali, Diffinitoribus, & Commendatoribus; cũm in nostra Constitutione exprimatur, quod Diffinitorum electio procedat ab ijsdẽ, â quibus processit electio Prouincialis; non obstante quod dicitur cap. 12. & 17. dist. 2. eiusdem Constit. videlicèt: *Procuratores solum habeant vocem in electione Vicarij generalis, non autem in alijs actibus Diffinitorij:* Hoc namquè solum excludit Procuratorum suffragium in electionibus, & decisionibus intrá Diffinitorum faciendis.

26 *Constitutio.* In electionibus tám Diffinitorum, quám aliorum Vocaliũ Capituli generalis, & prouincialis, si in prouincia adsit P. Vicarius generalis, debeat, & non sit ei liberum suffragari. Si verò absens fuerit, antequàm ad prædictas electiones procedatur, debet consuli circa illas.

27 *Constitutio.* Diffinitores electi in Capitulo prouinciali, vel extra Capitulum, si per duos annos continuos officium non exercuerint, eligi iterum poterunt in eodem officio in Capitulo immediatè sequenti. Si autem Diffinitor aliquis in Capitulo, vel extra Capitulum eligatur, & per duos annos continuos, & completos officium gesserit, eligi nó poterit in Diffinitorem in Capitulo prouinciali, nec in toto triennio immediatè sequẽti; sicut decernitur cap. 9. dist. 2. nostrarum Constit. de Vicario prouinciali.

28 *Secundo stat.* Prouinciales, præsantibus Diffinitoribus,

 mo-

moneāt Commendatores, quanta eos debeant veneratione tractare; nequé socios audeant eos alijs religiosis assignare; & vt si quæ in ipsis Diffinitoribus viderint emēdatione digna, secretè eos admoneant: quòd si admoniti se non corrèxerint, eidem Prouinciali denūtient, qui in eos animaduertat, & supplicia inferat, illorum attenta qualitate. Hoc idem à fortiori attendant Vicarij conuentuum, quamuis sint Præsidentes in capite.

29 *Primò statuitur.* Jn consultationibus conuentuum circa res alienandas, vel alijs, quæ recursum ad Diffinitorium habere debent, non assistant Diffinitores cum reliquis conuentualibus; quia iudicium posteà cum Superiori spectat ad ipsos.

§. III.
Circa P. N. Vicarium-generalem.

30 *Primò statuitur.* Qui functus fuerit officio Vicarij-generalis integro sexennio, per sexennium sequens non possit aliquod officium obtinere. Nequè Prouincialis per triennium subsequens, si triēnio integro prouincialatu potitus fuit. Sic enim vterquè à labore quiescet. Hoc minimè intelligendum pro nunc cum Siculis declaramus.

31 *Primò statuitur.* Si Vicarius generalis fuerit ex prouincia Siciliæ, & intra sexennium sui officij è vita migrauerit, obseruetur id quod decernitur in nouis statutis vim Constitutionis habentibus, ad calcem recentioris editionis nostarū Cōstitutionum, Hispali excusis, § 17. fol. 217. pag. 2. & deinceps: & sede Vicariatus-generalis vacante, gubernet prouincias Hispaniæ eius Commissarius, quovsquè Diffinitorium eiusdem prouinciæ Siculæ eligat (modo ibi præscripto) Præsidē generalem; & ipse Præses in Hispaniam adueniat, vt in Capitulo generali proximè futuro, post sex menses (vt præfertur) celebrando, præsideat. Cui Commissario præsens Diffinitorium præstat omnimodam potestatem, quam ipse habebat ab ipso patre Vicario-generali defuncto.

32 *Primò statuitur.* Officium Commissarij generalis prouinciæ Siculæ non expiret per mortem, aut renūtiationem, aut absolutionem officij Vicarij generalis, qui ipsum nominauit. Imó potius iubemus, vt talis Cōmissarius officium exerceat, & locum retineat vsquequò alius Cōmissarius ipsi succedat:

qui.

qui teneatur obligare, & si opus fuerit, etiã compellere Electores Capituli-generalis ex eádem prouincia, vt ad ipsum Capitulum veniant quando celebrandũ est; modò non sint legitimè impediti.

§. IV.

Circa Prouincialem, & Vicarium-prouincialem.

Vidê ea quæ suprá dicta sunt §. 3. num. 30. horum statutorũ: & infrà, §. 7. num. 48.

33 *Constitutio.* Cùm in nostra Constit. cap. 8. Dist. 2. duodecim anni professionis præscribantur eis, qui in Prouinciales sunt eligendi: & cap. 15. eiusd. Dist. dicatur, quód post decimum annum à professione eligi possint. Decisioni capitis 8. standum esse declaramus.

34 *Constitutio.* Quoties Prouincialis, vel per absentiam à prouincia, vel infirmitatẽ, Vicarium-prouincialem instituit, talis Vicarius Præsidẽs-prouincialis nominetur: dictiqué Prouinciales cum limitatione facultatẽ tradant dictis Præsidentibus-prouincialibus circa visitationes conuentuum, & licẽtias conuentualitatis, audiendi confessiones, prædicandi, & similia; nisi in aliquo vrgenti casu.

35 *Primò statuitur.* Sententia à pleno Diffinitorio lata, & à reo acceptata, non possit reuocari, néc moderari nisi à toto Diffinitorio, à quo processit.

§. V.

Circa Electiones.

36 *Constitutio.* Omnes Electiones quæ circa plures versantur fiant per schedulas, manu Secretarij Capituli scriptas, in quibus nomina eligendorum sint expressa; & nulli ex Vocalibus Capituli liceat alijs schedulis suffragari: non obstãte eo quod in nostris Constitutionibus continetur, cap. 3. Dist. 2. §. *Vt autem ex literis.* Electionẽ verò, quæ circa aliquod singulare versatur, fieri volumus per calculos albos & nigros, vel per duas schedulas, quarum altera ad reprobandum habeat literam R. & ad approbandum literam A.

37 *Primò statuitur.* Clauigeri conuentuum per schedulas deincéps eligantur, ad eum modum quod obseruatur in canonicis electionibus: & eorum electio in principio fiat cuiuslibét triennij. Qui autem nunc sunt, abrogati maneant, quovsquè

modo dicto eligantur.

38 *Primó statuitur.* Qui per schedulas eligunt, duas ad minus de manu Secretarij recipiant, in quibus nomina sint diuersa, vt nullus Elector suffragium suum alteri declaret, iuxta S. Concilij Tridentini decretum.

39 *Constitutio.* Clausula Cōstitutionis nostræ qua decernitur, quod panis & aqua Electoribus ministretur cùm inter se nō conuenerint circa electionem Prouincialis, vt dicitur cap. 8. Dist. 2, intelligi debet, si intra duos dies se inuicem conformare noluerint. Idem fieri iubemus in electione Vicarij-generalis.

40 *Constitutio.* Si prima, vel secunda vice non fiat electio per scrutinium, publicentur in Diffinitorio suffragia, quæ in duobus illis scrutinijs fuerint diuersis tributa personis.

§. VI.

Circa Procuratorem Romanæ Curiæ.

41 *Constitutio.* Officiū cuiuslibet Vocalis, siué pertineat ad Capitulum generale, siué ad prouinciale, statim vacat si in Procuratorem eligitur Curiæ Románę, & munus talis Procuratoris acceptat, qui dictum officium habebat. Prædicto veró Procuratori plenā potestatē concedimus ad tollendas irregularitates apostatarū, & eosdem habilitandos ad Sacramētotum administrationē; præter ea quæ illi conceduntur cap. 5. Dist. 2. nostrarum Constitutionum.

42 *Constitutio.* Clausula Constitutionis nostræ cap. 4. Dist. 2. qua decernitur, non posse Vicarium-generalē ab officio remouére Procuratorem-generalē Ro. Curiæ, nisi in Capitulo: sic accipienda est, vt nomine Capituli intelligatur Diffinitorium illius prouinciæ, cuius filius est ipse Procurator.

§. VII.

Circa Commendatores.

43 *Constitutio.* Commendatores negligētes circa soluenda debita á suis prædecessoribus relicta, vt iubetur cap. 18. Dist. 2. §. *Commendatores omnes.* pœna priuationis, aut suspensionis, juxta grauitatem negligentiæ, irremissibilitér plectantur.

44 *Constitutio.* Commendatores & Rectores conuentuum, & Collegiorum nostri Ordinis, in dimidio triennij faciant officiorum suorum renuntiationem in Diffinitorium prouincię,

vt

vt eam, si expediens visum fuerit, admittat; sin autem dimissam faciat: illamq; teneantur remittere ante festum Omniũ Sanctorum, cum ratione domus, computo bonorum, & pecuniarum; nominibus suorum conuentualium, & literis pleno Diffinitorio directis, quas illud adaperiat, & nullus ex Superioribus, sub præcepto sanctæ Obedientiæ, eas audeat aperire, abscondere, aut occultare. Vide supra: §. 1. n. 20.

45 *Primo stat.* Commendatores ex nunc non eligantur nisi ad duo dũtaxat triennia, iuxta indultum SS. D. N. Urbani Papæ VIII. Qui autem hucusq; per duo triennia cõtinua Commendam exercuit, absque officio per triennium remaneat, nisi in aliud superius eligatur. Hoc pro nunc non intelligatur cum prouincia Sicula.

46 *Constitutio.* Commendatores, etiam intra sex menses proximiores Capitulo prouinciali, possunt per Diffinitorium suis officijs priuari, non solum propter causas in Constit. cap. 18 dist. 2 expressas, verum etiam propter alias ab ipso Diffinitorio legitimas iudicandas. Qui fuerint priuati, etiam intra dictos sex menses, careant, sicut officio, etiã iure suffragandi in Capitulo, ad eum modum quo de Electoribus Capituli generalis dicitur cap. 2. dist. 2. nostrarum Constit. §. *Nec etiam ipso.*

47 *Constitutio.* Ante Capitula generalia, & prouincialia, per quadraginta dies continuos fiant in toto Ordine nostro Preces pro recta directione Vocalium, & *fœlici Capituli euentu*: quod seruent Commendatores, etiam si literas conuocatorias non receperint.

48 *Primo statuitur.* Nullus Superiorum suspendat Commendatorem aliquem nisi per duos menses, intra quos, si causa suspensionis talis fuerit vt Diffinitorum determinationem postulet, Superior eos consulat, & ipsorum iudicio decidatur quod iustum videbitur. Sin autem; ipsis duobus mẽsibus transactis, Commendatorem in domum suam redire præcipimus.

49 *Constitutio.* Consiliarij conuentus semper sint Magistri Nouitiorum, & qui Vicarij-generales fuerint. His deficiẽtibus, qui Prouinciales, vel Vicarij-prouinciales per electionem absolutam, attenta proportionabiliter suorum officiorũ præcedentia. In defectu prædictorum, qui Diffinitores aliquando fuerunt, antiquioribus in professione præcedentibus. In conuentibus verò vbi nõ inueniuntur aliqui ex enumeratis,

assignentur alij á Prouinciali in principio sui officij, & nunquam numerum ternarium excedant, nisi sint actuales Diffinitores.

50 *Secundo statuitur.* Magistri domus Nouitiorum á Capitulo prouinciali fiant; & extra Capitulum, a Diffinitiorio prouinciæ, cū voto decisiuo Prouincialis, & Diffinitorum.

§. VIII.
Circa Redemptionem, & Redemptorem.

51 *Secundò stat.* Pecuniæ, & bona quæcumq; ad captiuorum Redemptionem spectantia quartoquoquè mense remittantur ad capita prouinciarum: videlicèt: quæ sunt in conuentibus proũiciæ Conceptionis, ad conuentum S. Ioseph Hispalensem: quæ verò in conuentibus prouinciæ S. Iosephi, ad cōuentum S. Barbaræ Matritensem: quæ autem in prouincia S. Raymundi, ad conuentum Panormitanum, qui dicitur *del Muelle*. Curent Prouinciales prædicta exequi, & in prædictis bonis asseruandis ita inuigilare, vt ea quæ in nostra Constit. dist. 1. cap. 20 continentur nullam iacturam patiantur.

52 *Secundò stat.* Redemptor qui nunc est in prouincia Sicula S. Raymundi, & ille qui pro tempore erit, habeat votum in Capitulo prouinciali, non veró in generali; sicut Procuratores generales in eodem Capitulo prouinciali, & sedem post Diffinitores: quia concordia inita circa Redemptionis ministerium cum Reuerendissimo P. Generali Calceatorum nostri Ordinis solū amplectitur prouincias Hispaniç. Electio autem prædicti Redemptoris Siculi pertineat ad Capitulum prouinciale, sicut electiones Commendatorum; & extra Capitulum, ad Diffinitorium prouinciæ.

§ IX.
Circa Acta, & Mandata.

53 *Constitutio.* Soli Capitulo generali liceat quç ad leges spectant, & Constitutiones nostras mutare, addere, vel minuere, iuxta cap. 1. dist. 2 nostrarum Constit. § *Diffinitores*, & cap. 4. eiusdem dist. §. *Quoties.* & cap. 3, dist. 1. §. *Prohibemus item.* Quia tamen in eisdem Constitutionibus exprimitur, quod sufficiat maior pars Vocalium Capituli generalis, vt in eodē

con-

conferantur quæ ad mutationem, vel additionem earundem Constitutionum pertinent; & non declaratur an necessarius sit maior numerus suffragantium, vt dicta decernantur, & à Præside Capituli necessarió confirmentur: Statuimus, quod ad mutandam in totum Constitutionem aliquam ad institutum, & vitam nostri Ordinis communem pertinentē, maior pars Capituli non sufficiat; sed necessum sit quod nullus Vocalium dissentiat; nequè à Summo Pontifice, absq; prædicto consensu, sub inhabilitatis perpetuæ pœna ipso facto incurrenda, Bulla aliqua circa id impetrari possit á quoquam. Ad minuendum autem aliquid, vel addendum contra, vel supra Constitutionē in ordine ad mores, duarū partium Uocaliū Capituli generalis sit necessarius consensus. Quod si ex Uocalibus omnibus tres partes non constent æquales, vota quæ de illis supersunt non computentur: vt si sedecim sint Vocales, decem ex illis ad prædicta decernenda sufficiant: sicut etiā si septemdecim adsint, quorū pars tertia constat ex quinque; quia duo qui supersunt computari non debent. Si verò aliquid, non solū in parte, sed etiam in toto conueniat in Cōstitutionibus addere, vel minuere, vel etiam omninó mutare, quod ad gubernationē dumtaxât pertineat, supradicto modo per duas partes decernatur æquales. Ad interpretandas item Constitutiones siué ad gubernationem, siué ad mores pertinentes, eodem modo duæ conuenire debent Uocalium partes conformes.

54 *Constitutio.* Nullum sanctæ Obedientiæ formale pręceptū, censura vè a quocumquè Prælato, etiam á patre Vicario-generali, communitati impositum, vim ligandi habeat, nisi in scriptis intimetur: exceptis præceptis, atqué censuris, quæ in Visitationum capitulis voce tenùs imponi solent.

55 *Constitutio.* Mādata, & præcepta quæ à Visitatoribus, pro conuentuum bono regimine, ac Constitutionum obseruantia, relinquentur in domibus visitatis, non expirent [exceptis præceptis, atqué censuris] etiam si defecerint, aut expirauerint Visitatorum officia. Mandata in vltima visitatione in fine triennij, vel sexennij relicta, à Visitatore seqūeti denuò videantur, & si illa expressè non confirmauerit, censeātur omninó abrogata: Mandata veró, & censuræ Prouincialis, aut eius Visitatoris in prima visitatione relicta, vsq; ad eius secū dam absque dubio vim habeant: maneāt tamen abrogata si

in ipsa non confirmentur. Idem fit de mandatis, & censuris P. Vicarij-generalis, & eius Visitatoris in prima visitatione relictis, respectu secundæ.

56 *Constitutio.* Acta Capituli-generalis, & prouincialis committantur duobus Diffinitoribus respectiuè à Diffinitorio designandis: qui postquam Presidi Capituli disposita ab ipsis manifestauerint, & ea in Diffinitorio legerint, & Diffinitorium approbauerit, á Secretario in libro Religionis, aut prouinciæ scribantur, assistente saltem aliquo ex Diffinitoribus prædictis: quibus sub præcepto formali præcipimus, vt nullũ verbum addere vel subtrahere possint, postquam in Diffinitorio Acta fuerunt lecta, & approbata.

57 Denique de assignatione conuentus pro Capitulo-generali futuro celebrando, in Vigilia Pentecostes anni Dñi. millesimi sexcentesimi quinquagesimi noni fuit actum, & omniũ Vocalium consensu, fuit assignatum cœnobium sanctæ Cæciliæ, oppidi de Ribas, Toletanę diœcesis, in prouincia S. Iosephi: si id placuerit Exc. Dño, Duci Methimnæ Sydonię, ad quem, iure Patronatus generalis nostri Discalceatorum Ordinis, spectat monasterium pro Capitulo-generali celebrãdo, nominare.

Comitia hęc generalia, Deo fauente, finita fuerunt in hoc almo cœnobio Corporis Christi, oppidi del del Viso, die decima Nouembris, anni Dñi. millesimi sexcentesimi quinquagesimi secundi. Omnia autem & singula quæ in ipsis sunt acta cedant in maiorem Dei gloriam, eiusq; purissimæ Matris B. MARIÆ semper Virginis, Dominæ nostræ, primę, & verę nostri sacri Ordinis Institutricis; nec non & sanctissimi nostri Patriarchæ Petri Nolaschi, & D. Ioseph eiusdem Deiparæ sponsi; & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei.

Actas

ACTAS

QVE TOCAN AL CVLTO DIVINO, Y VIDA comun de los Descalços de N. Señora de la Merced, Redencion de Cautiuos.

Y se mandan guardar en este Capitulo general.

§. 1.

A cerca del culto Diuino.

POR priuilegio admitido, y costumbre inmemorial de nuestra Religion, ordene este santo Difinitorio, q̃ todos los Sabados del año [fuera de Aduiẽnto, Quaresma y quatro Tẽporas] se réze el oficio de la Concepcion de N. Señora, como está en el Breuiario Romano en su proprio dia, omitiendo la palabra: *Hodie*, en los Versos, Respõsorios, y Antifonas en que se hallare: y en la de Benedictus, en lugar de: *Conceptionem hodiernam*; se diga: *Conceptionis memoriam*; y se dexe la palabra: *Solemnitèr*. Esto se entiende si el Sabado no estuuiere impedido con rezo de nueue Liciones, aunque sea transferido: que auiẽdo este impedimẽto, se podrâ rezar el dicho oficio votiuo de la Concepcion en qualquier dia de la semana, como no tenga el mismo impedimento.

2 *1 vez se establece.* Admitese el priuilegio de la Sãtidad de Paulo V. para poder rezar oficio votiuo de nuestro Patriarca

